



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Victorii Explicationes suarum in Catonem, Varronem, Columellam Castigationum

Vettori, Pietro

Lvgdvni, 1542

È Libro XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12981

EX HORTVLO.

NE grauis hausturis tendentibus. Nicolaus Leonicus, magnæ eruditionis homo, hunc locum mendosum esse existimauit, & pro Tendentibus, Celonibus legi debere credidit. Iudicium autem suum de hac re fecit in commentarijs suis *μὴ χαλινὰ* Aristotelis. Ipse manu scriptos libros cum excusis cōsentire inueni, nec uitium ullum receptam lectionem habere puto. Docti tamen uiri de hoc statuent: nam quod idem ita etiā locum Plinij è XIX. libro cap. IIII. corrigi debere putat, aliter illum emendatum esse existimo. In excusis libris sic legitur, Pertica, organisq; pneumaticis tollendo nō hausto rigando: in antiquis uero ita scriptum est, ut tuto emēdari posse opinor, Tollenonum haustu rigandos: est enim Tollenon, ut Sex. Pompeius docet, genus machinæ quo trahitur aqua: quare cum Latini scriptores uernaculam uocem haberēt, quæ id appositè significaret, nescio cur externa uti debuerint.

Iamq; saluari properet lactuca sopore. Olim excusi omnes sapore mendose, ut patet. Quis enim tam imperitus harum rerum, ut non uideat sopore legendum esse?

Quas educat aluus. Ita castigauit: appellauit autem hic Columella cæcas colubras, uentris lumbricos, non angues: ne quis autem falleretur, aperuit quas colubras intelligeret. Dioscorides etiā nasturtium pellere ipsos tradidit. Aluos, pro Aluus, scriptum erat: ut equos, auos, sæpe in uetustis monimentis nominandi casu.

E LIBRO XII.

NArdum Gallicum, costum, palma. Olim in excusis, Crocum: manu scripti, Cortum, Costum, coniectura è ueteribus uestigijs emendaui.

Qua

Qua utuntur ad cōdituras Allobroges. Plutar-
chus in v. libro symposiorum picati uini mentionē fecit;
et in magno honore Romæ habitum refert capite 111.
καὶ τῶν ἰταλικῶν οἱ περὶ τῶν πένδων δικάζοντες ἐκ τῆς πρὸς
βίονα γαλατίας δὲ πυσίτης οἶνον κατακρίπτει, διαφερόν-
τως πινόμενον ὑπὸ ῥωμίων.

Et Glechoniten sic condire oportet. Olim excusi,
Glyciriziten deprauatè: ueteres libri hīc, ut in extremo
capite Glechoniten, rectè habebant.

Orbiculata Cæsiana. In excusis olim, Sestiana.
Cæsiana, in uetustis inueni, nam ita quoq; in titulo scri-
ptum erat. hīc enim aliud capitis principiū est, ita inscri-
ptum: De malis Cæsianis, Orbiculatis, Melimelis, Matia-
nis. Vnde etiā facilius credi potest, hanc uerā esse lectionē.

Aridum si dabis, exiguius dato. Ita è uetustis li-
bris scripsi. Exiguius, secunda collatione: quod quamuis
multis nouum sit, non tamē sperni, ac reici debet. Veteres
etiam Iurisconsulti sepe ita locuti sunt. lib. x x i x. Pan-
dectarum. L. cum aliter. Licet alij ualidioris uocis, alij exi-
guioris sunt. nec non lib. x x x. L. si ita sit adscriptum.
Et ait posse dici exiguius esse præstandum. sic enim in o-
ptimo exemplari scriptum est. Nam optimū Romani ser-
monis auctorem Lucretium Egregius, eadem ratione di-
xisse, manifestum est,

Nam nihil egregius quàm res secernere apertas
A dubijs.

Quia sepe in hoc cōmentariolo ueteris scripturæ, quæ est
in peruetusto libro Pandectarum, qui publicè in hac urbe
custoditur, mentionem feci, rectum esse censui semel, cuius
iudicio antiquam, ueramq; lectionem indagauerim, decla-
rare: non enim exemplar ipsum semper consului: sed ha-
bui

huius excusos formis libros, quos cum antiquis illis Angelus Politianus studiosè olim contulerat, eosq; quantum mihi commodum fuit, pertractavi: illi enim quoq; publici sunt. Eruditissimi igitur uiri labor magno me labore leuauit: qui quidem, ut erat diligens, & accuratus, hac librorum collatione mirifice delectabatur, & ita posse bonos auctores multis maculis purgari uere existimabat: quaecunq; itaq; in priscis exemplaribus inueniebat, in impressis sedulo annotabat: quod si diutius ille uixisset, & quæ mente destinauerat perficere potuisset, opera, sedulitasq; ipsius magnos studiosis literarum fructus attulisset, multosq; qui postea huic muneri corrigendorum librorum necessario incubuerunt, magna prorsus molestia liberaisset: sed ea nunc omnia inchoata, imperfectaq; iacent: rarò enim ille quid sentiret ostendebat, sed ueterè tantum scripturam cum fide in suos codices transferebat: còmodius, ut opinor, tempus expectans, quo posset de his rebus maturè dijudicare. Mors tamè eum præuenit, nec quæ cogitauerat ad exitum perducere potuit: Libri uerò obitu ipsius dissipati sunt, pauciq; è magno numero inueniuntur. Si quis autè propter acumen ingenij, & uariâ Latinorum Græcorumq; scriptorum lectione hoc præclare facere potuit, ille ut opinor fuit: nam, ut aiunt, libros etiâ legum illustrare suo studio, & industria cupiebat, & fundamèta iam huius sui laboris iecerat. Hoc tamen ab illo relictum, à doctissimo uiro susceptum, & magna ex parte confectum est.

E PALLADIO.

Πρασιόκοις. Et hæc quoq; olim corrupta uox erat: **Π**ρασιαι, ut Græcorum Grammatici ostendunt, sunt αἱ τὴν κήπων λαχανίας κόειδες, unde nomē compositū, bestio-
las